

476

474

480

470

485

465

525

425

575

375

Ende

Anfang

465

paene usque ad pellem nostram, et numquam per totam meam peregrinationem ita indispositus fui redditus, sicut ex inundatione illa, quia homo maditatus naturaliter fit tristis, pusillanimis, contractus ex frigoribus et totus indispositus, sileo de impatientia, qua afficitur homo, et de sollicitudine pro rebus, quas homo dicit, aquam non sustinentibus, ut sunt libri et hujusmodi. Pluvia autem inundante intravimus hospitium ad exspectandum imminutionem, et si pluvia imminuta non fuisset, ad crastinum sursus ascendissemus ad pernoctandum, siquidem in recessu meo transitum habui per castrum illud, sicut patet P. 1. Fol. 26., et promisi domino Philippo comiti de Kirchberg et dominae Cunigundae, matri suae, quod in reversione ad eos declinare vellem; de magna enim affectione conventus nostri Ulmensis erant omnes de domo illa, et tota (b) familia. De illo dominio in sequentibus plus venit dicendum, et de venditione comitatus Kirchberg in manus Bavarorum patebit postea. Igitur cum paululum pluvia cessasset, equos ascendimus, et contra Danubium equitavimus in terminos dominii Ulmensium et usque ad conspectum delectabilis civitatis Ulmensis pervenimus. Quantam autem consolationem, delectationem et laetitiam in aspectu ejus habuerim, pensari potest ex miseriis, quas in elongatione ab ea sustinui. Singulari autem nitore videbatur mihi civitas resplendere, quia gubernatores ejus medio tempore turres et moenia reformaverant et muros exaltaverant et fortalitiis ac praesidiis novis ornaverant et vallum novum circumduxe-
rant, cum palis et aggeribus ac fossatis aqua plenis, cum novis pontibus et portis, ne cui pateret ad placitum via ad flumen. Insuper ab alia parte fluminis, ubi ipsa civitas est, magnificam munitionem erexerant tantis expensis et laboribus ac ingeniis, ut cuncti videntes obstupescant et mirentur; nam per ipsum alveum fluminis murum ingentem, spissum et altum aedificaverant, a ponte sursum usque ad finem civitatis cum turribus et propugnaculis per medium rapidi decursus aquarum, quae omnia contra Bavarorum incursus fecerant. Illis temporibus et civitatem non solum munitam sed et ornatam et decoram reddiderant. In tantum autem venustaverant eam novis propugnaculis, muris et turribus, ut vix faciem urbis cognoscere possem et de facto eam prae decole non novissem, nisi situs et alia, quae mutari non possunt, Ulmam veterem demonstrassent. Cum gaudio ergo et admiratione